




Glauber, Johann Rudolph. Appendix quintæ partis prosperitatis germaniæ, emolumenti universam patriam concernentis causâ, dilucidè et perspicuè declarans & revelans, quo pacto tria illa in dictâ quintâ parte promissa arcana, cum fructu effectui danda sint : tum adjuncta explicatione nonnullorum locorum obscurum, quæ in prosperatis germaniæ tertiâ, ac quarrâ parte, ut & primâ centuriâ minus perspicuè tradita sunt. Cansa Deum honorandi, bonum augendi, malum reprimendi, in lucem missum opusculum, a Johanne Rudolpho Glaubero.


*Amstelaedami, typis Joannis Janssonii, 1660, 1660.
Cote : BIU Santé Pharmacie 11265-5*











11265 11265
APPENDIX
QUINTÆ PARTIS
PROSPERITATIS 11265
GERMANIÆ,

Emolumenti universam patriam concer-
nentis causâ, dilucidè & perspicuè declarans &
revelans, quo pacto Tria illa in dictâ Quin-
tâ Parte promissa Arcana, cum
fructu effectui danda sint :

cum

Adjuncta Explicatione nonnullorum locorum
obscuriorum, quæ in Prosperitatis Germaniæ
Tertiâ, ac Quartâ Parte, ut & Primâ Centuriâ
minus perspicuè tradita sunt,

Causa

Deum honorandi,
Bonum atigendi,
Malum reprimendi,


In Lucem missum Opusculum,

A

JOHANNES RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELÆDAMI,
Typis JOHANNIS JANSSONII, 1660.



PRÆFATIO
AD BENEVOLUM
LECTOREM.

NUllum mihi dubium est, BENE-
VOLE LECTOR, haud
paucis mirum visum iri, quod tanti
momenti & tantæ utilitatis AR-
CANÆ, adeò perspicuæ & evidenti de-
scriptione patefaciam, ut unicuique penitus
innotescere possint. Hoc tamen non sine gra-
vioribus causis à me factum esse, facile qui-
vis sibi persuadere poterit, quas omnes in præ-
sentiâ ut recenseam, omninò non necessarium
duco, utpote in commodius aliquod tempus re-
jiciendas. Ex his præcipua, & cæteris omni-
bus præponderans hæc est, quod nonnullorum
malefactorum hominum perversitas, non so-
lum apud vulgaris conditionis homines, sed
etiam apud Magnates, suis mendacibus ca-
lumniis, in summam invidiam mea Scripta ad-
ducere moliti sint, enormi mendacio cum primis
effutientes, quod tria illa, quæ in Prosperita-
tis Germaniæ Quintâ Parte pollicitus sum,
Arcana nullius sint emolumenti, ac proinde

A 2

nub

nullâ cum utilitate effectui dari possint, & ego ipse illorum pollicitatione nihil aliud omninò quæsi verim, quam ut aliis imponendo nummos corradere.

Quandoquidem verò calumniarum hæc est proprietas, ut longè promptius & facilius ipsâ veritate admittantur, atque eam ob causam plures his calumniis occupatos suos animos ab hujus rei veritate deflectentes, nescierunt, quo pacto se res habeat: Ego autem è contrario probè mihi conscius meæ innocentie, à talibus criminibus falsò exprobratis longissimè absûm, omninò æquissimum, & maximè necessarium duxi, ne falsissimas istas criminationes in me reside-re patiar, ut contrarium universi Mundi oculis subjicerem, ac veritatem ipsam demonstrando & aperiendo, honorem, mihi tam perfidè, & proditoriè ereptum, reciperarem: id quod meliori ratione fieri neutiquam potuit.

Quid enim quæso profecissem, si scribendo crimina talia diluere, ac testimoniis rei veritatem confirmare conatus fuissem? Unus credidisset, alius fidem non adhibuisset, ac interea veritas, cujus solius testimonio quævis res revera patefcunt, in medium non progressa fuisset,

PRÆFATIO.

fuiſſet, & mendacia atque impudica illa ora pudore coram ludice non ſuffudiſſet. Ideò neceſſitas poſtulavit, ut opus ipſum loqueretur, & ſibi ipſi patrocinaretur, quæ vera & genuina eſt deſenſio, & via hoſtilibus ejuſmodi calumniatoribus ora ſua impudica, & mendacia obturandi. Faliſis ejuſmodi hominibus compenſabit aliquando Deus labores ſuos iniquiſſimos, quibus mihi damnum hoc ingens intulerunt. Interea unicuique integrum erit inventiones has utiliſſimas ad uſum ſuum adhibere, & unam aut alteram operationem elaborandam ſuſcipere, ut aliquid emolumenti conſequatur, quod ex animo ipſi apprecor, & voveo. Nullus etiam dubito, quin quamplurimi homines præſcriptam meam doctrinam ſequendo, & meorum Scriptorum, ipſi veritati, tanquam vero fundamento innitentium, veſtigiiſ inſiſtendo, haud parvi momenti utilitatem ſibi comparaturi ſint, dum quietè & tranquillè uſu meorum Arcanorum quæſtuoſo fruuntur: Ac præcipuè illius Secreti facillimi, quo fugax aut volatile Aurum, ex omnis generis ſilicibus, ubique ſe copioſè offerentibus extrahitur, & plumbi adjuſtamento corporale redditur. Quod opus certè tale eſt, quo unus homo alteri nullum omninò

damnum inferre, sed potius adjumento esse, & emolumento potest. Vnicuique igitur in præsentiâ affirmo eâ veritate, quam Deus amat, & tuetur, quod sequuturæ Operationes omnes, quas hujus Opusculi editione manifesto, non semel sed sæpius à me elaboratæ, & etiam pluribus aliis monstratæ sint, ut causam de ipsis dubitandi nemo habeat, & nullâ aliâ de re sollicitus esse debeat, quam ut rem ipsam prudenter aggrediatur, & diligentem laboribus ipsis operationem impendat. Si autem fortè usu veniret, ut quis unum aut alterum errorem committeret, id quod facile contingere potest, errores à se commissos ne arti adscribat, atque ipsam proinde falsitatis insimulet, sed potius errorum suorum occasiones & causas inquirat, inquisitione tali procul dubio scopum suum assequuturus, & fructum speratum consequuturus: quâ in re ipsi Prima & Secunda Centuria mea facili manu ductione succurret.

Hæc sunt, quæ testandi veritatem causâ hic proferre volui. Vnicuique autem hisce significo, Laboratorium meum publicum jam finitum esse, ac imposterus clausum mansurum, quod neminem latere volui.

O P E

O P E R A T I O,

Quodvis plumbum, seu quamcunque plumbi venam, communis Salis opera, per carbones, in cinerem redigendi, & in fornace, Stichofen appellata, reducendi, ut Aurum & Argentum cum emolumento extrahatur.

℞. **P**lumbi, aut venæ plumbeæ 2. & Salis communis 1. partem, quæ plumbeæ venæ, si in molâ comminuta est, commiscenda, & sensim palâ carbonibus injicienda, in fornace, cineribus conficiendis inserviente, & cametis fumum, & ascendentes flores excipientibus instructa. Quæ ex Metallo & Sale fusa materia per craticulam decedit, ea denuo palæ imponenda, & carbonibus injicienda, laborque hic toties iterandus, donec totum Metallum, five omnis illa vena Metallica, in cineres commutata fuerit. Omnis porrò materia combusta, lotionibus per aquam diversis, sordibus cunctis liberatur, ipseque Metalli, aut venæ Metallicæ cinis residuus, in fornace, Stichofen Germanis appellata, in Metallum reducitur. Hæ autem incinerationes & reductiones, toties ac tamdiu repetendæ sunt, donec parvo aliquo frustulo periculum feceris, plumbum tuum jam aptum esse, quod in foco per separationis ignem tractetur.

A 4

Tunc

Tunc enim in focus in Lithargyrium mutatur , ut commodius expromere queat Aurum & Argentum , quæ per Salem & Ignem in ipso maturata sunt.

NB. Observetur hic oportet, quod mineræ plumbeæ quidem cum Sale commisceri & carbonibus imponi queant; sed eundem operandi modum plumbum non admittat, quod Sali se admisceri non patitur, atque ideo postulat, ut Sal primò carbonibus injiciatur, & ipsum postea Sali injecto superjiciatur. Observandus autem hic modus, & iterandus toties, ac tam diu, semper Salem præmittendo, & plumbum submittendo, donec in cinerem versum plumbum, suam Metallicam fusionem penitus amiserit. Cinis dictus aqua eluitur, atque in fornace reducitur, eâ ratione, quam modò indicavimus.

NB. Plumbo, aut mineræ plumbeæ alia minora Metalla adjungi possunt unà in cineres redigenda, ut stannum, ferrum, aut cuprum. Majus tamen emolumentum pariunt venæ illæ plumbeæ, si solæ sumantur, utpote aptiores ad hunc laborem, cum jam ferrum & cuprum penes se habeant, & ob feram suam naturam bonum, & vendibile plumbum non exhibeant, atque ita non opus sit, ut cuprum, aut stannum, quæ jam vendibilia sunt, comburantur.

NB. Dum hæc incineratio peragitur, multi
flores

flores Metallici in fumi receptacula, fornaci ad-
juncta ascendunt, qui, si necesse est, eximi, clo-
tionibus, fale, qui unà ascendit, liberari, & per
reductionem, pristino suo corpori, reddi pos-
sunt, exhibituri plumbum, quod Argentum
continens, instar alius plumbi, in Lithargy-
rium convertitur, ut ab eo Argentum separetur.
In cæteris quoque mineris in cineres mutatis,
hoc probè etiam notandum, ut ante reductio-
nem ab omni Sale penitus eluantur, atque leves
fordes à corpore Metallico probè removean-
tur. Hoc si negligeretur, Sal, forti follium
flatu exagitatus, Metallum secum ablaturus, ac
cineres carbonum Metalli ipsius fusionem im-
pedituri, atque idem in scorias redacturi es-
sent.

Quoad reductionem ipsam probè notandum,
ignem in fornace ad minimum duabus horis an-
te incendendum esse, quàm minerarum cineres
reducendi imponantur, ut hac ratione fornax
intus ubique candeat. Etenim si probè non igni-
tus fuerit, mineræ injectæ non liquefcunt, ac
non liquatæ in foco resident, ita ut flatui fol-
lium impedimento sint, & ipsam operationem
corrumpant. Peritum igitur artificem hi labo-
res requirunt, versatumque in talibus operatio-
nibus, non ita facilibus, ut multis apparere so-
lent.

Tandem & hoc notandum, si mineræ ad ope-
rationem hanc sumptæ Sulphuris plenæ fuerint,
A 5 illud

illudque Sulphur torrendo non p̄nitus amotum fit, ipsius feritate, inter liquecendum, boni Metalli corpus in scorias redigi, & Metalli loco scorias se offerre.

Atque hæc est incineratio & reductio illa, quam in Laboratorio meo Amicis & Inimicis monstravi. Ab illo tamen tempore longè faciliorem hujus laboris perficiendi viam inveni, cujus ope unusquisque aliquis homo unius diei plus, quam aliàs octidui spacio efficiet.

Quia autem hic modus nondum vulgaris est, eum hîc divulgare consultum mihi non videtur, utpote qui in præsentî Appendice statui, ea tantummodo patefacere, quæ in Laboratorio meo aliorum oculis videnda subjeci.

Quo pacto Aurum, Argentum, atque etiam Cuprum, ex pauperibus Venis Metallicis, quæ ignis impensas ferre nequeunt, per humidam viam, insigni emolumento extrahi possint?

TErræ Metallicæ primò candescunt, & aquâ frigidâ extinguuntur, ut friabiles factæ sub lapidibus molaribus se comminui patiantur. Si ipsis Sulphur admixtum fuerit, eodem, tostione præmissâ, liberandæ sunt, eo quod Sulphur impedit, quominus Aquæ fortes solutione debitâ mineras illas aggrediantur. Hoc modo præparatæ, immittuntur in fortiora vitra, aut cucurbitas terreas, ex optimo luto paratas, ipsis-
que

que affunditur sequens aqua , à quâ , trium transverforum digitorum altitudine , superari debent. Cucurbita his materiis impleta , in arcam reponitur arena impletam , & hunc in usum paratam , ac distillando omnis aqua elicitur , quæ non solum tota recuperatur , sed etiam ex Salepetræ , aut Sale sibi augmentum adsciscit , aded ut plus aquæ , quam affusum est , per distillationem ascendat. Ex cucurbita (vel cucurbitis , si plures arcæ fuerint impositæ) mineræ eximuntur , exemptisque affunditur aqua communis , Salem ex ipsis residuum extrahendi gratiâ , in quo & Aurum atque Argentum reperitur , quod in mineris fuit.

NB. In hoc labore observandum , non omnes Spiritus , usque ad ficcum Salem , à mineris abstrahendos esse , idque non modo propter evitationem damni , quod ex ruptione vitrorum existere solet , sed etiam hanc ob causam , nimirum , ut parum acrimoniæ apud Salem relinquatur , propter nonnullos Sales , qui facile in Salempetræ abeunt , quando Aqua fortis aliqua ab ipsis abstrahitur. Ac quamvis Aqua fortis culinarium Salem totum , facili negotio , in Salempetræ commutet , ex omnibus tamen Salibus unus promptius , alter tardius hanc transmutationem admittit , prout naturâ suâ Salepetræ magis aut minus affinis est. Huic igitur errori ut obviam eatur , aliquid humiditatis apud mineras relinquendum est. Nam quando
universi

universi Spiritus evocati sunt, atque in Salempetræ Sal conversus est, non satis aeris ipsa aqua foret ad retinendum secum in solutione Aurum extractum, quando quidem unum, & solum Salempetræ solutura, Aurum apud mineras relinqueret. Si hic error committeretur, Salpetræ aquâ ex mineris extrahendus, ac recens Sal cum Aquâ Regis, quæ per distillationem extracta est, affundendus iisdem mineris esset, ut hæc primâ vice abstracta Aqua Regis, non omnem Salem additum postea in Salempetræ commutare possit. Nam quod sæpius Aqua fortis à Sale abstrahitur, eò minus in Salempetræ Sal mutatur, ac tandem talis manet, qualis antè abstractionem fuit. Nam cum Aquæ fortis natura ita comparatum est, ut dimidiam sui ponderis partem ex Sale ab initio in Salempetræ convertat, ac altera vice à Sale abstracta, quartam solummodò ejus partem transmutet, ac tertiâ iteratione adhuc multò minus, & tandem nihil ex ipso commutet, sed Spiritus Salis naturam induat, qui tamen aptissimus est ad extrahendum Aurum & cuprum, ex mineris in infinitum, si ipsi Sal additus fuerit, ex quo, instar alius Spiritus Salis, perpetuum sibi augmentum acquirere solet.

Ut igitur incommoditas hæc præveniatur, Aquâ fortis penitus relictâ, solo Spiritu Salis, & Sale ipsi adjuncto, minera & terræ illæ
Me-

Metallicæ extrahi possunt, unico hoc in distillatione observato, ut aliquid humiditatis apud mineras relinquatur, quo tantò facilius ex vitris eximi queant.

Porro & hoc sciatur oportet, quod Aurum, Argentum, atque cuprum ex Mineris & terris suis, etiam sine Aquâ forti, aut Spiritu Salis elici queant, si Sal tantummodo aut Salpetræ adjiciatur. Nam si Aquæ Salis petræ, aliquid Olei Vitrioli, aut Sulphuris affundatur, aut Aqua Salis eodem acuatur, satis valida evadit ad extrahendum Aurum, atque post extractionem, in distillatione, phlegmatis ascensum sequitur suavis Spiritus Salis, aut ex Sale petræ bona Aqua fortis. Eapropter majoris quæstus, ac minoris molestiæ est hic labor, quàm si Aqua fortis, aut Spiritus Salis ad eundem adhibeatur. Sunt autem & aliæ faciliores, & compendiosiores viæ, Aurum, Argentum, & Cuprum ex suis terris extrahendi, quæ quoniam in meo Laboratorio nondum monstratæ sunt, non sine ratione in præsentia silentio prætereuntur. Similium tamen frequens fit mentio in mea Centuriâ Primâ, in quâ inquirere poterit, qui ejusmodi rationes sciendi cupiditate inflammatus est.

Aqua-

Aquarum ad Extractionem Auri, Argenti, & Cupri ex pauperibus mineris idonearum Apparatus.

℞. Salispetræ 1. & Aquæ fortis vulgaris 4. partes, quæ conjunctæ Argentum eliciunt, ut & cuprum. Ad Aurum ex suis mineris evocandum fumitur Salis vulgaris 1. pars, & Aquæ fortis 4. partes. Una Salis, ac 4. Aquæ fortis libræ, reddunt Aquæ Regis libras quatuor & dimidiam, reliqua dimidia libra Salis apud venas Metallicas, in fundo cucurbitæ manens, Aurum, quod in illis fuit, continet, & aquâ vulgari extrahitur.

Modus Aurum & Argentum ex elotis Salibus, per præcipitationem eruendi, & sine detrimento ad corpora sua reducendi.

SI aqua Salispetræ Argentum contineat, aqua Salis infusa Argentum ad fundum præceps dabit. Aqua autem Salis Aurum complectens, per lixivii, paucum liquorem silicum continentis, affusionem Aurum dimittere cogitur. Aqua autem hæc ipsa, affusionis ope jam mixta, per decoctionem optimum Salempetræ exhibet. Aqua autem fortis, & Aqua Regis, quæ per distillationem ascenderunt, idoneæ sunt ad novas extractiones Auri, Argenti, ac cupri ex suis

11
suis terris, atque per iteratas extractiones, ex additis Salibus & aquis, incrementa perpetua sumunt, adeò ut in his Auri, Argenti & Cupri extractionibus, præter paucas illas, quas ignis postulat, nullæ omninò impensæ aliæ requirantur. In hujus Operis igitur exordio nihil aliud postulatur, quam unica libra Aquæ fortis, eo quod in progressu laboris infinito augmento procedit, licet multa millia librarum extrahenda essent. Hinc opus est inauditum, & omnem ferè fidem superans, à quo necesse est profectò, ut immensum lucrum proficiscatur, quoniam Aurum, Argentum & Cuprum sine sumptibus ex suis pauperibus terris Metallicis hac ratione extrahi possunt.

Unum adhuc restat, cujus in Auri & Argenti præcipitatione accurata ratio habenda erit. Commune lixivium omne Aurum ex Aquâ Regis præcipitare nequit: eâ de causâ aliquid liquoris filicum lixivio addendum jussî, id quod ex Primâ Centuriâ quoque liquebit. Ad unumquemque igitur pertinet, omninò videre, an vero & genuino liquore filicum in operando utatur, ut ita, ejus loco, simplex lixivium duntaxat non adhibeat, atque ita grandem errorem committat, sicut nonnullis jam usu venit, prout mihi indicium est factum.

Si quis autem verum, & bonum liquorem filicum parare nesciret, aut etiam in promptu non haberet, in ejus locum substituere poterit
val.

vulgarem Spiritum urinæ, per cupream vesicam paratum, qui juxta cum dicto liquore Aurum ex Aquâ Regis omne præcipitat.

NB. Sed Aurum hoc per Spiritum urinæ præcipitatum, instar pulveris pyrii fulminat, nisi ante Reductionem sulphure communi aduratur, atque ipsi facultas hæc fulminandi adimatur, quod incommodum liquor silicum afferre non solet.

NB. Si Auri, aut Argenti venis, zinki, ferri, aut lapidis Calaminaris plurimum adestet, affusa Aqua fortis, aut Aqua Regis, non universa per distillationem ascenderet, nec incrementa fumeret, sed ejusdem pars aliqua, apud terras istas Metallicas mansura, & lapidi Calaminari, &c. adhærendo se concentratura esset, cujus tamen jactura nulla esset futura, cum affusione lixivii, ex lignorum cineribus, in bonum Salempetræ converti queat, tanti quidem precii, ut facile Aquæ fortis, aut Aquæ Regis impensas compensare possit.

Prætereà & hoc observetur oportet, si Auri, aut Argenti mineris etiam cuprum admixtum esset, Aquam fortem cuprum juxta cum Argento extracturam esse. Hæc autem duo Metalla, à se invicem separandi proxima via est, ut Aquæ forti Spiritus Salis affundatur, qui omne Argentum ex Aquâ forti ad fundum præceps deturbat, relicto in ipsâ aquâ cupro, quod imposito ferro adhærens, aquæ hac ratione subtrahitur.

Hæc autem, post Metalla sibi subtracta, idonea est, ex quâ novus Salpetræ conficiatur, additione Vitrioli per distillationem novam Aquam fortem exhibiturus. Præcipitato Argento Sales Alkali, in fusione, corpus pristinum reddunt, alias admodum fugaci. Cuprum in æ viride optimum convertitur. Atque ita cupri mineræ, quantumvis pauperes haud absque exiguo emolumento extrahi possunt, quia ex solo cupro æs viride confectum duplo pretio ipsum cuprum liquatum superat.

Boni Salispetræ ex Sale culinario, & calcis vivæ copiosè parandi modus.

EX lapidibus paratæ calcis vivæ, quæ per Aërem in farinam est penitus mutata, quatuor partibus admisceatur una pars culinarii, sive communis Salis, sive puri, sive impuri, atque ex hac mixtione, per humectationem urinæ, aut in hujus defectu, aquæ, crassior pastæ, conficitur in struem ita cum lignis componenda, ut stratum super stratum complectens eam magnitudinem acquirat, quæ struentis voluntati respondeat, idque vel in fornace eum in finem structâ, vel sub dio in aperto campo. Cavendum autem in hujus acervi constructione, ne massa illa Salis & calcis vivæ nimis crassa & continua, sed potius in

B

pilas

pilas & globos efformata sit, ut ita probè igniri possint à flammâ ubique pervium acervum transeunte, quod fieri non posset, si massa nimis lata meatus ubique obstrueret.

Acervo, eâ quâ quis vult magnitudine, constructo ignis subjicitur, tamdiu fovendus, donec cuncta ligna combusta fuerint, & ipsi globi ad minimum horam unam & totam canduerint, ut Salis acrimonia in tanto candore à calce vivâ mutetur, leniorem sibi naturam adsciscat, ac eò facilius se in Salempetræ transmutari patiatur.

NB. Sal hoc modo transmutatus, loco fimeti animalium, stercorationi agrorum est aptissimus, ut pluribus meorum Scriptorum locis jam pridem fusè docui.

Hæc est præparatio Salis in Salempetræ transmutandi, cui artificio si quis operam dare voluerit, sequenti ratione operationem suam instituat, necesse est.

Ex præparato hoc Sale Salempetræ conficiendi modus.

PRIMò hic Sal inversus alicubi exponendus erit libero aëri, radiisque Solaribus, ita tamen, ut à pluvîâ non humectetur acervus, in trium aut quatuor pedum altitudinem constructione suâ exurgens, qui vel urinâ humanâ, vel animalium, aut si harum inopia esset, solâ aquâ made-

madefaciendus est, ut per aliquot dies quietè jacentes globi, aut pilæ solvantur, & reliquæ materiæ misceantur. Postquam verò calidus aër omnem humiditatem consumendo acervum exsiccat, humectatio prædicta est iteranda, eaque iterum consumpta, & acervo exsiccato, humectationibus, & exsiccationibus repetitis labor tamdiu continuandus est, quamdiu necessitas postulaverit. Temporis enim longioris progressu Salpetræ nascitur, aquâ eluendus, & decoctione in stirias redigendus.

Hæc Salispetræ generatio tardè quidem procedit, sed magnum emolumentum adfert. Si enim semel tantum Salpetræ in tali Salis acervo natus, ac post elotionem reliquæ eidem cumulo redditæ fuerint, progressu temporis, denuò novus Salpetræ enascitur, aded ut singulis annis novus Salpetræ ex acervo se eluendum exhibeat, & opus hoc sine fine continuari possit.

Qui verò ex inverso hoc Sale, brevioris temporis intercapedine, Salempetræ optaverit, acervo dicto Salispetræ semen, aut fermentum addendum esse sciat, ut hoc idem ex sale incrementa sua sumat, crescat & augeatur, sicut herba aliqua ex falsa & pingui terrâ crescere solet. Cuncta enim sua habent semina, & ex aliis Salibus sua sibi augmenta depromunt. Salispetræ semen est volatile, & acidus ejus Spiritus, cujus radix existit Nitrum fixum, quod omnibus salibus acerbis insertum, copiosissimo pro-

ventu, Salempetræ gignit, & quidem bonum, aut etiam meliorem illo, qui ex acidis illis Salibus Alcalium emergit.

Propagationem hanc Salispetræ fixi per Sales acidos hic non indicamus, utpotè in sequenti labore, & operatione descriptam.

Sicut igitur quodvis Vegetabile non solum feminis, sed etiam radicis suæ adjumento propagari, & multiplicari potest; Ita etiam contingit idem Salispetræ, instar aliarum herbarum, & feminis, & radicis suæ adminiculo suam propagationem, & multiplicationem promoventi.

Quod ad Salispetræ semen attinet, paratu illud est admodum facile illis, qui per humidam viam, Metallicas separationes & extractiones tractant. Nam si Aurum ab Argento, per Aquam fortem separatur, aut ejusdem ope Aurum aut Argentum, ex suis mineris extrahitur, hæc ipsa jam impensas in se factas abundè compensavit, atque ita sine omni sumptu, & quasi gratis se obtulit. Si autem ipsam loco vulgaris aquæ, inverso illi Sali, affundo, non modò bonus Salpetræ evadit, sed etiam, ut veri Salispetræ semen, centuplæ multiplicationis fructus & incrementa, ex inverso Sale, sibi assumit, more feminis omnium Vegetabilium, quod idem facit. Quò plus autem hujus feminis Nitrosi terræ mandatur, tantò plus Salispetræ, & tantò citius enascitur. Nam quando
hor-

hortulanus, rarâ dispersione, suum semen seminat, necessario etiam raram messem habebit, id quod è contrario quoque de copiosa messe intelligendum. Ac si quis hortulano exprobrare vellet tarditatem feminis, paucorum dierum spacio, nec germina, nec caules, nec flores, nec fructus protrudentis, nonne dicturus esset, quod naturam non possit cogere, quippe sibi debitum tempus, & naturalem cursum refervantem.

Idem hîc de Salepetræ intelligatûr velim, si forsan hostes mei, verveces ignorantissimi, mihi objicere vellent, Salepetræ, ex seminato suo semine, mox paucis diebus non enascente, semen illud verum, & bonum non fuisse, aut fieri omninò non posse, ut tali augmento, ex communi Sale, ipse Salpetræ enascatur. Cum hortulano ipsis respondeo: Naturæ tempus suum requisitum ut concedatur, necesse esse.

Ut verò cuivis evidenter pateat, quod hæc mea Salispetræ fatio, atque hoc augmentum longè evidentius demonstrari queat, quàm ullius feminis vegetabilis, periculi faciendi gratiâ res parvo experimento tentari poterit, antequam ejus exercitium operosius, & prolixius instituatûr, atque verendum sit, ne labor frustra suscipiatur.

℞. Salis cum calce viva parati libras tres, ac singulas separatim singulis vasis terreis

reis impone : Cape item de aquâ Salispetræ jam usurpatæ , tanquam de femine Salispetræ , unciam unam , uncias duas , & uncias quatuor. Uni autem uncia istius Aquæ fortis admisce tantum aquæ communis , ut una libra prædicti Salis inversi eadem mixtione imbui queat. Duobus unciis ejusdem Aquæ fortis adijunge itidem tantum aquæ , ut altera libra Salis ejusdem humectari possit. Sic quatuor reliquas uncias tracta , & iisdem tertiam libram madefac. Tres autem illas ollas, Salis dicto modo parati singulas libras continentes , calori Solari expone , ita tamen , ut pluvia accedere , & omnem Salem eluere nequeat. Omni verò humore per calorem Solarem consumpto , materias tuas in ollis aquâ duntaxat pluviam rigabis toties , quoties exsiccationem postulaverit. Duobus aut tribus mensibus finitis, unamquamque libram, ex quavis ollâ separatim eluendo, maximam deprehendes differentiam, & animadverteres, libram illam Salis, cui 4 uncia illæ feminis Nitrosi accesserunt, totam, paucis fecibus exceptis in Salempetræ transmutatam esse. Illa verò libra, cui duæ uncia dicti feminis affusæ sunt, Salispetræ minorem portionem continebit, sicut & illa minimam, quæ unius tantum uncia adjumentum nacta est. Porro elotas illas, & nondum in Salempetræ conversas aquas salas, fecibus denuò affunde, præmonstrata ratione exsicca, atque his exsiccationibus & humectationibus alios 3. menses

menes impende, atque rursus ex Sale Salempetræ excoque, qui se magno augmento, & insigni emendatione exhibebit; adeò ut tanto majore incremento Salempetræ consequuturus sis, quanto diutius laborem hunc persequuturus fueris. Talia experimenta demonstrant, quò plus feminis in pinguefactâ & falsâ terrâ feminatur, eo copiosius ejusdem feminis augmentum expectandum esse.

Objicere hîc possent nasuti illi sanniones, & artis ac veritatis persequutores, quod Salpetræ ex solâ Salispetræ aquâ additâ, & non ex ipso Sale emergat. Sed respondeo; quod usurpata illa Aqua fortis, semen quidem sit Salispetræ, sed sine alicujus corporis fixi adjumento nunquam Salispetræ naturam recuperare queat, æquè ac herbæ alicujus semen, herba evadere nequitquam potest, nisi in humidam & falsam terram projectum, ex eadem sibi corpus adsciscat, atque ita augeatur.

Equidem lubens fateor, quod Spiritus Nitri, ex omnibus fixis Salibus sibi corpus assumendo, ad pristinam Salispetræ naturam reverti possit: Sed quantum mihi quidem, ex longi temporis investigationibus multiplicibus, hætenus innotuit, excepto sequente, nullum alium Salem invenire potui, cujus ope aquæ illæ elotionibus metallicis adhibitæ, citius & ocyus in verum Salempetræ transmutentur, sicut hic & sequens Sal faciunt, quos ad Salempetræ faciendum id-

B 4

propter

propter de meliore notâ commendo. Quomodo alias bonus Sal Nitroius ex Mineris extractis parari queat, in Primâ Centuriâ revelatum est, ideoque hic superflua repetitione non repetendum.

*Alia Salis ad confectionem Salispetræ
preparatio.*

R. Salis Communis 1. & mineræ Sulphuræ, Germanis Schewel kies, 2. aut. 3. partes, si minus Sulphuris continuerint: Sin autem & Vitriolum penes se habuerint, æquales utriusque partes sumendæ sunt. Mineram Sulphuream in mola comminutam, & Sali mixtam, in fornacibus tostioni inservientibus, supra craticulam, aut sine craticulâ supra focos, per duas horas torrendo probè candefac, ut durante hac candefactione Sulphur in Salem ingrediatur, & ipsum alteret. Hic Sal ex minerâ sulphuræâ per aquam elotus, atque ad cuticulam decoctione deductus in oblongas stirias, Salispetræ confimiles, excrescit, eique suo sapore respondet, sed in calido aëre in pulverem abit. Adjectione calcis vivæ, eodem modo, quo præcedens, exustus & paratus in bonum Salempetræ, sed citius ac breviori tempore convergitur. Mineræ usurpatæ, si cuprum complexæ fuerint, aut aliud aliquod Metallum, nihilominus per fusionem excoqui possunt, cum hac operatione nul-

nullius alius rei jacturam fecerint, nisi Sulphuris, quod tamen per ustionem abigendum fuisset illi, qui per excoctionem Metallii quid eruere voluisset.

NB. Caput mortuum, ex quo Spiritus Salis addito Vitriolo elicitur, consimilem exhibet Salem, Salipetræ faciendi admodum utilem. Sunt etiam alii modi plures, sine sumptibus ferè talium Salium copiam haud exiguum exhibentes, præcipuè si lapidum carbonariorum adjumentum accesserit.

Præterea hîc monendum video, quia Sal cum calce vivâ comburendus est, unam calcem alterâ meliorem esse, eo quod nonnulli lapides calcarii ad Salipetræ confectionem aptiores sunt, præcipuè autem ii, qui linguæ admoti igneum calorem exhibent, quibus calx ex conchis marinis parata bonitate non respondet.

Quo pacto Salipetræ radix, Salibus acidis inferenda sit, ut ex eâ augmentum capiant, quemadmodum alicujus Vegetabilis radix transplantata, ex salsedine terræ incrementa sumit.

Sicuti in præcedentibus demonstratum est, Spiritum Nitri acidum Salipetræ semen esse, & ex Salibus Alkali, sicut herba ex terrâ, augmentum sibi adsumere. Eadem ratione Salpetræ fixus, qui Salipetræ radix

dix est, transplantationem admittit, non tamen per fixos Sales, sicut ejusdem Spiritus acris, sed per acres Sales, quibus per insitionem uniendus est. Duo enim acida, & duo Alcalia novam essentiam producere nequeunt; sed duo contraria semper tertium producant. Minimus Sal acidus, qui omnium facillimè transmutationem in Salempetræ admittit, est vulgaris ille Sal culinaris, quem modò per Sulphuris Mineras invertere docuimus. Ac si talis apparatus ad hanc rem haberi non posset, ille ipse Sal culinaris, tam in ficcâ, quàm in humidâ viâ assumptus, idem præstaret, sicut in aliis meorum Scriptorum locis jam indicavi. Nitri fixi autem confectio passim in meis Scriptis tradita occurrit, & quidem præcipuè eo in loco, ubi de ficcâ separatione, five lotionem Metallorum agitur, quando nimirum Sulphurea, & Antimonialia Metalla per Nitrum eluuntur.

Modus copiosè parandi Spiritum Salis, ad Auri, & Cupri ex Mineris suis extractionem necessarium, ut & post distillationem absolutam, ex residuâ materiâ bonum Salempetræ conficiendi.

DUabus Vitrioli aut Aluminis partibus misce unam Salis culinarii partem, atque candentibus prunis injice mixtionem, cujus Spiritus magnis arcis plumbeis, vice vasorum recipien-

pientium fungentibus , excipiendi sunt. Hæc operatio , præter ipsum Salis Spiritum , acres quoque flores exhibet. Si quis ad hanc distillationem duplices arcas plumbeas conficiendas curaverit , atque exteriori , adhuc minorem arcam , recipientis loco continentem , aquâ frigidâ repleverit , propter meliorem refrigerationem plures , & copiosiores Spiritus consequetur. Arcæ tamen tales multum plumbi requirunt , quando quidem tres illæ solæ , quas in Laboratorio meo habui , mille & quadringentas libras plumbi , in laminas reducti , continuerunt.

Ad hunc usum etiam alia Receptaculorum genera adhiberi possunt , quorum enumerationem nimia prolixitas ab hoc Opusculo removet.

Materiæ post distillationem residuæ , & in molâ comminutæ , una pars , cum duabus calcis vivæ commiscetur , ut ex ipsis pilæ aut globi fiant , lignis imponendi & adurendi , sicut antea monstravimus , ut ita in Salempetræ commutentur.

Præter hæc omnia longè melior & compendiosior incineratio , & emendatio minorum , & imperfectiorum Metallorum , amicis in meo Laboratorio in conspectu posita & demonstrata est , quæ tot circumstantias & labores non postulat , quàm præcedens prolixior , quæ per Salem vulgarem prunis injectum expeditur. Fit
enim

enim in peculiari furno, adhibitis purioribus Sallibus, ac majori opere elaborata magni momenti commodum elargitur, adeò ut 24. horarum labore quovis, Argentum & plumbum Auro prægnantia, atque separationis operationibus digna reddat.

Pari ratione cuprum, ejusmodi laborum adminiculo, valdè emendatur, & haud parum Argenti nanciscitur, si addatur; adeò ut exiguo igne, atque paucis admodum sumptibus, unumquodque cuprum, quod vix per 24. horas ignem passum est, tantâ emendatione exire soleat, ut in lapide Lydio, 2. 3. & quandoque 6. lotonum stricturam ostendat, prout diligenter & circumspèctè tractatum fuerit. Hinc ex vilibus, & ubique obviis subjectis, quodvis Argentum & plumbum sensim in Aurum, atque ipsum cuprum sine detrimento, per aliquot laborum iterationes, in bonum Argentum maturari possunt. Hæ autem operationes exiguos sumptus desiderantes, ac laboribus paucis se expediri patientes, sine intermissione exerceri, & ingens emolumentum afferre possunt. Sunt autem inventa talia, qualia hætenus à nullo alio excogitata, nullo unquam tempore lucem aspexerunt. Non autem omnes ii, qui magnam Incinerationem in Laboratorio meo viderunt, & didicerunt, hujus laboris, & artificii conspectum habuerunt, & usum apprehenderunt, sed ii tantum, qui constantes usque ad finem totius de-

demonstrationis in Laboratorio meo perseverarunt. Qui verò nimis maturè magistrum & scholam deseruerunt, hujus Operationis penitus ignari & rudes sunt, & quidem optimo jure. Si enim & hujus Arcani fuissent potiti, detrimento majore me profecto affecissent, quod tamen Deus clementer prohibuit, hac ratione cavens, ne omnia simul in meorum inimicorum manus inciderent. Furnus, quo ad dictam Incinerationem & Metallorum emendationem usus sum, adhuc in meo Laboratorio manet, & forsan adhuc per totam hanc hyemem in eo permanebit. Quantum verò ad me attinet, laboribus Chymicis supersedere constitui, eos aliis tradens, apud quos compendiosior hæc Metallorum emendatio adhuc diutius visenda erit. Omnium itaque meorum inimicorum numerus, quantumvis prolixior, opprimendæ veritati nequaquam par erit, quoscunque etiam impetus insanos in eam fecerint. Nam quanquam unus aut alter furtim mihi mea Secreta abstulit, mox tamen mihi divina benignitas, largâ manu, alia subministrat. In Alchymiâ firmum jam fundamentum locavi, atque amicis & inimicis lumen accendi, quod difficulter admodum extinguetur, quamdiu mundus stabit. Rumpantur illa omnibus perversis hominibus, qui tantum lumen frustra extinguere moluntur.

Ut

Ut autem hujus compendiosioris Incinerationis & emendationis Metallorum , videlicet plumbi , stanni , ferri & cupri in Argentum , & Lunæ in Aurum , aliqua duntaxat cognitio habeatur , eam duplici ratione expediri posse dico. Prior est, quando Metalla communibus, vel etiam paratis & humidis ignibus Chymicis destruuntur, ex suo esse Metallico in terrenam naturam & essentiam convertuntur , spiritualibus Salibus imbibuntur , & cementatione clausuruntur, ita ut mutuâ efficaciam & actione se invicem emendent, ac postea per reductionem ac separationem , cum emolumento Argentum , & Aurum expromant. Arque labor hic ea quantitate & copiâ, quâ quis vult, se exerceri patiens, grandes impensas , atque prolixas molestias penitus ignorat, cum unica persona sub unico camino , & quidem haud exiguâ quantitate materiæ, hac operatione defungi queat. Imò quod adhuc majoris est momenti, si quis adhuc Sales graduantes , ut vocant , acquisitu faciles, ac ferè nullis impensis constantes , in hac operatione adhibuerit, longè majoris utilitatis potietur, præcipuè si etiam cupreas laminas adjunxerit, cum Metallis in cinerem reductis per cementationem dictam urendas , quas graduantes illi Spiritus , sine formæ destructione, totas & universas penetrabunt, atque penetrando emendantes , ad nobiliorem gradum deducunt , ut in cupellâ Argentum Auro prægnans reddituræ sint.

Non

Non autem necessarium est, ut ejusmodi laminæ cupreæ in catino secretorio per plumbum discernantur, Aurum & Argentum per dictam operationem in ipsis factum consequendi causâ, licet jam colorem mediocriter album nactæ fuerint: Satius enim & utilius est, ut adhuc aliquot cementationibus novis impositæ, ignis violentiâ magis urgeantur, & Auri atque Argenti accessu majore ditentur, postea debiti plumbi additione sub secretionis examen revocandæ, quod fit, quando Aurum & Argentum continens plumbum, cum Cupro in magnas placentas colliquantur, furno, quem Seigerofen Germani vocant, imponendas, ut plumbum liquescens defluat, & defluendo omne Argentum & Aurum, quod in Cupro fuit, secum abripiat. Hoc artificio cuprum conservatur, de novo laminandum, & ad novos labores adhibendum, ac per cementationem rursus Auro & Argento novo ditandum.

NB. Ad hanc Cupri secretionem peculiari plumbo neutiquam opus est, cum illud adhîberi possit, quod ex pulveribus cimenti eliquatum, jam Aurum & Argentum continet, quæ Metalla unâ & eadem operâ in segregationis labore conservantur, per gradatoria cimenta ex mineribus & imperfectioribus Metallis jam acquisita.

Atque hæc est mea compendiosior Incineratio, & Cementatio imperfectiorum Metallorum,

rum, ut meliora & perfectiora evadant. Eam in Laboratorio meo, nonnullis Amicis ostendi, quæ porro in pluribus locis cum fructu exercebitur. Quanto pudore mei inimici, qui Diabolicis suis clamoribus & calumniis scripta mea inutilia, & mendaciorum plena ubique pronunciarunt, suffundi tandem debeant, & quàm turpiter se daturi sint, facili conjecturâ unusquisque providere poterit. Nullum planè dubium est, quin Alchymix, artis profecto infinita emolumenta procreantis, crebritas per universam Europam tanta, & exercitatio tam frequens futura sit, ut etiam plurimi opifices suis opificiis, & plures rustici, omissis suis aratris, Alchymix operam daturi, meorum Scriptorum adjumento, ex contemptâ arenâ, & abjectis lapidibus, feliciori & faciliori ratione, sibi victum, & amictum quæsituri sint. Unde necessario sequetur, in omnibus locis, ubi nunc paupertas viget, Aurum & Argentum copiosum rursus in conspectum proditura esse. Hi sunt novi fructus, quos nobis Deus in hoc sæculo largitur. Unusquisque, qui id consequutus est, ut hisce fructibus fruatur, egenos & pauperes sibi commendatos habeat, ac benefactoris sui, à quo talia profecta sunt, non obliviscatur, ne pœnam & iram divinam sibi accersat.

Porro alia nonnulla secreta, in Laboratorio meo, durante prolixorum illorum secretorum demonstratione, etiam in conspectum producta sunt,

sunt, quorum Catalogum hic contexere non necessarium duco. Eorum quædam haud parvi sunt momenti, quæ eodem casu sinistro in inimicorum meorum manus inciderunt, & ab iis procul dubio manifestabuntur. Eâ de causâ ipse quædam in Secundâ meâ Centuriâ, Deo dante, revelabo, ut neminem lateat, quam excellentia Secreta, in humani generis usum, à me patefacta sint.

Inter alia postremum locum non obtinet hoc, quod docet, ex pauperibus cupri mineris, quæ ubique locorum obviæ, sumptus ad Ignem fusionis necessarios, compensare nequeunt, cuprum aquis, nullarum ferè impeniarum, elicere, & ad usum traducere, ac quidem ingenti copiâ, & tam facili, ut procul dubio impofterum pauperes rustici, qui se cum uxoribus & liberis ægrè admodum sustentare possunt, tali artificio operam sint daturi, ac mineras tales conquirituri, aut etiam scorias ipsarum, ut cuprum ex ipsis extractum vendant, ac per acrem hyemem sibi victum & amictum comparent, aliàs in paupertate & egestate miserabiliter victuris. Operatio ipsa sic se habet.

C

Quanto

Quanto emolumento, sine ullâ liquatione aut fusione Cuprum facile, per quandam paucissimarum impensarum aquam, extrahi & corporale reddi queat.

DUplices cupri mineræ, aut venæ offenduntur: quædam Sulphuri mixtæ Aquarum fortium extractionem respuunt, aded ut Sulphur tostione & adustione prius ab ipsis removendum sit, quàm Sales, aut Aquæ acres in eas vires suas exercere possint. Tostio autem illa per lignorum flammam fit in focus, in quibus in pulverem comminuta illa materia metallica, indefinenter ferreis instrumentis est movenda, donec nullum amplius foetorem sulphureum emittat. Hoc facto Aquarum fortium extractionem admittunt.

Aliæ mineræ, quæ Sulphur admixtum non habent, tostione etiam non egent, quippe quæ tantum igne candescunt, aquâ extinguuntur & comminuuntur, atque ita ad extractionem idoneæ redduntur.

Omnes autem Aquæ acres, quæ cuprum solvunt, ad cuprum ex pauperibus mineris cupreis extrahendum usurpari possunt, & quidem cum utilitate, quando aquæ magni non constant, sed exiguis tantum sumptibus comparantur. Tales sunt Acetum ex frumento, Acetum ex lignis, quod facilius paratu quivis rusticus insigni copiâ acquirere potest, Aqua Salis vulgaris,

garis, Aqua fecum vini, ex quibus vinum adustum, seu Spiritus vini paratur, & quæ aliàs abjiciuntur. Hæ duæ posteriores minimi sunt precii, ac proinde omnium facillimè conquiri possunt. Operatio autem talis est.

Mineræ in pulverem redactæ, in parva & humilia ahenâ injiciuntur, ad spithamæ circiter altitudinem, ne nimis densæ & compactæ jacentes difficilior ligno aliquo moveantur. Sic in ahenis jacentibus affunditur acida illa aqua, ad spithamæ, aut ad minimum, transversæ manus altitudinem ipsas superans, ahenisque igne subiecto, fortiter coquitur, & materia ipsa indefinenter movetur, ut ubique eam aqua permeans eò facilius cuprum omne extrahat. Hæc post unius, aut duarum horarum coctionem ubi viridissimum colorem induerit, & nullum amplius cuprum solvere potuerit, effunditur, ac altera affusa pari modo tamdiu coquitur, donec eundem colorem acquisiverit. Affusio autem hæc aquæ novæ toties ac tamdiu iteranda est, usque dum nullam amplius viriditatem imbibit, quod signum est, omne cuprum ex mineris extractum esse.

NB. Si parum cupri Mineris adfuerit, prima Aqua omne cuprum eliciet, ut aliis aquæ affusione non amplius opus sit. Imò contingit quandoque etiam, ut prima Aqua plus cupri attraheret, si mineræ plus ejusdem haberent. Idpropter ex Aquâ illâ, quæ non satis cupri extra-

C 2

xit,

xit, cuprum non est præcipitandum, quippe re-
servanda, & novis mineris affundenda; ut peni-
tus cupro saturetur, ac præcipitatio per ferrum
non frustra usurpetur. Nam quantò plus cupri
Aquæ exhauserint, tantò plus lucri acquiritur,
& tantò minus aquæ ad laborem hunc requiri-
tur. Res est intellectu facilis illi, qui probè hanc
operationem perscrutatus fuerit, & debitâ dili-
gentiâ tractaverit, aded ut nullum errorem com-
mittere queat.

NB. Si harum aquarum viridium copiam ha-
bueris, ferro veteri, per unam aut duas noctes
ipsis imposito, elicies cuprum ipsi adhæsurum,
instar cupri limati, & relicturum ipsam aquam
albam, ac claram, quæ ad hanc extractionem am-
plius adhiberi nequit, sed affundi potest calci
vivæ cineribus lignorum mixtæ, ut ab aëre, &
Sole, sub aliquo tecto pluviam non admittente,
exsiccet, atq; ita ex usurpatâ hac aquâ, & cal-
ce, Salpetræ enascatur, eo modo, quem antea
docui.

NB. Cuprum hoc, quod ferro adhæret, aquâ
communi à suâ falsedine eluendo liberatum, &
postea exsiccatum, puri cupri loco usurpari po-
test, utpote cui liquato nihil planè decedit, si o-
peratio probè peracta fuerit. Imò maximum pe-
nes se commodum habet, cum tenerius & purius
fit, ac ad multas operationes commodius, illo
crasso cupro communi, adhiberi queat. Idoneum
enim est, ut acri aceto humectatum, in optimum
æs viride per calorem convertatur. Por-

Porro monstravi in Laboratorio meo publico, quâ ratione Spiritus Salis, Aqua fortis, Aqua Regis & Sal meum Mirabile facili negotio, & quidem magnâ copiâ, acquiri possint per Sulphur separatorium, quod nihil aliud est, quàm Oleum Sulphuris, aut Vitrioli, de quo in Secundâ Parte Miraculi Mundi perspicuè actum est. Item quomodo Aurum, spacio quadrantis unius horæ, per Salem Mirabilem, in catino aliquo, ad primam suam materiam, sive rubrum, pellucidum, sulphureum, & solubilem lapidem, qui se per aquam communem in optimam medicinam solvi patitur, converti queat. Hæc Aqua Aurea, herbarum radicibus affusa herbas efficit auri proprietatem habentes, quâ de re Opusculum meum de Natura Salium, & Secundam Miraculi Mundi Partem consules.

Præterea nonnullis Amicis ostendi, quomodo in extractione Auri & Argenti, ex pauperioribus mineris, simul etiam Spiritus gradatorius & figens possit recipi, qui quodlibet Argentum vivum in Aurum & Argentum potest per gradationem perficere, prout vel ex Auri, aut Argenti Mineris extractus fuerit.

Secretum tantum in meorum inimicorum manus nondum incidit, sicut & arcana illa mea Metallorum incineratio, ac cementatio, quarum pariter compotes facti fuissent, si adhuc duos saltem aut tres dies expectassent, quandoquidem tantas operationes illis, qui manserunt, atq; aliis honestis spectatoribus mox monstravi. Ac-

Accessit his etiam insigne illud Arcanum, per gradatorium fulmen spacio quadrantis unius horæ, ferè sine ullis sumptibus, quodvis plumbum eò deducendi, ut Auro prægnans laborem secretorium mereatur.

Hæc & similia Arcana, cum pluribus dissertationibus utilissimis in meo Laboratorio visa & audita sunt, quorum supervacuâ enarratione lubens jam supersedeo.

Tandem, pro additamento necesse est, ut hoc solum indicem, eò brevi tempore rem forsan deventuram esse, ut plurimi imposterum tantam de laboriosis, sumptuosis & incertis minerarum, & fodinarum culturis sollicitudinem non sint suscepturi, sed potius arrepturi & majore emolumento tractaturi ea, quæ meliora extra terram haberi & acquiri possunt. Præcipuè verò haud pauci cementationes meas aggredientur emolumentum quærendi causa, utpote qui sæpius pecuniam otiosam, & nullum lucrum præbentem habent, quam hoc adjumento augebunt, quod etiam facili negotio fieri poterit, ac etiam in pluribus procul dubio effectui dabitur.

Equidem videre neutiquam possum, quantum quidem mihi notum est, an honestior & certior vitam sustentandi ratio ulla, in toto mundo reperitur, quàm hæc vera, & emolumentum tantum procreans Metallorum emendatio. Nam mercatura ipsa licet ingentis lucri sit procreatrix, tam firmiter tamen inter peccata, quàm

cla-

Clavus in pariete , hæret , sicut Christus ipse dicit.

Ministeria , quibus Dominis & Magnatibus inservitur , laboriosa sunt , & servitutis plena , quod plurimi sunt experti. Bellum verò infinitos homines immaturâ morte abripit.

Longè igitur satius est , in casulâ aliquâ cum suis tranquillè vivere , & frusto panis frui , quàm incertas divitias summis periculis aucupari. Idèd mihi nullum dubium est , plures repertum iri imposterum , qui meis Scriptis adjuti , cum uxoribus & liberis , se commodius sint sustentaturi , quàm hætenus factum est. De eo etiam nullus dubito , quin plures ægrè sint lataturi , quod adeo manifestè & perspicuè cuncta revelaverim. Sæpius enim hoc factum est , & quotidie adhuc fit , ut eo nomine ab aliis reprehendar , sicut proximè sequens epistola testatur , cui similes plures , si mihi liberet , adjungere possem.

Nemo est , qui omnibus satisfaciat : Non Jupiter omnibus idem. Huic calor molestiam creat ; illi frigus est oneri. Quæcunque scripsi , iis clara & perspicua erunt , qui Artis periti rem intelligunt , ideo malentes , ut obscurius scrip-
sissem. Imperiti & ignorantes verveces judi-
cant , me in scribendo Sophistam egisse , quia rem non assequuntur. Cuncta tolerari possent ipforum judicia , quibuscunque Scripta mea sub
censuram vocant , si bona ipsa , ob ignorantiam
C 4 sua,

suam, contemptui non haberent, ac quæ verissima sunt, fallaciarum & mendaciorum non arguerent, id quod tamen nemini mirum videri debet, cum ejusmodi contemptus iniqui ab iis proficiscantur, qui rudes & ignari rem non melius intelligunt. Sed hoc planè Diabolicum est, ab aliquo beneficiis summis affici, & tantorum secretorum compotem fieri, ac postea ore impudico negare, & dicere, nihil boni unquam in se collatum esse. Horum hominum detestanda malitia & impietas me impulit, ut in hac Appendice tot excellentia secreta manifestaverim, quæ nullo unquam tempore patefecissem, si à perfidis istis hominibus tam veteratoriè deceptus non fuisset.

Epistola ad me scripta, cujus mentionem modo feci, hæc est.

Nimis clare; iterumque nimis clarè scripsisti. Cave ne novum alium demonem Farnerianum tibi suscitet Deus in pœnam facilitatis tuæ in publicandis ejusmodi mysteriis. Non sunt enim impiis illa profananda, ne te decipiat hominum hodierna corruptio, & quod ut plurimum ab illa cecitas oriatur. Non sunt enim caci omnes improbi. Plures novi Farneros omni malitia genere coïnquinos, qui tamen non sunt omnes ut ille tuus occacati. Quin imò tam penetrans & tam perspicax est illis ingenium, ut si divinos, quos in lucem edidisti libros legerent, nul-

nullum esset arcanum in totâ naturâ, quod non illis
 innolesceret ; Quin etiam divinum illud opus Phi-
 losophicum brevi tempore perfecturi essent. Quid
 si foret, (proh dolor!) quot inde strages! quot supra!
 quot incendia ! Et quot omnis generis mala in genus
 humanum irruerent, quorum ipse, tu causa licet in-
 nocens, esses. Scio te ad ejusmodi publicationem
 impulisse detestandas impii Farneri calumnias,
 quibus te ignarum passim & apud omnes dixi. Sed
 charissime mi domine, Ecquid scire tuum nihil est
 nisi te scire hoc sciat alter ? Scit Deus te scire, qui
 scientiam tibi largitus est. Scit hoc etiam tua con-
 scientia. Numquid hæc duo plenissime sapientem
 beare possunt? Infelix est voluptas, quæ ab hominum
 opinione pendet: Frustra queritur a nobis extra nos
 vera felicitas, si solidum ejus principium in nobis esse
 debet. Quid tua refert, si te minus doctum homi-
 nes credant, dum ipsissimum tibi nature lumen afful-
 geat. Utinam quod ex tuis divinis libris te perfe-
 cisse mihi certissime constar, ego semel facere po-
 tuissem, & me stupendissimum crederent omnes ho-
 mines, non, quod de veritate operis ullius dubitem,
 illud opto. Licet enim opus integrum centies perfe-
 cissem, de illius veritate vix possim esse certior.
 Non dubitat nec querit amplius quicumque novit
 ignis concentrandi rationem, huic igni concentrato
 solem terrestrem uniendi modum & fermentationum
 arcana. Cum hisce tribus audacter dicam, faciat
 quicquid voluerit natura, necesse est, ut aliquid
 optimum faciat. Sed si mihi per mille negotia, quæ

me hucusque detinuerunt, & ab operatione demoverunt, semel ipsum opus absolvere licuisset: Iam diu me ab ipsis ambagibus sæculi expedire totumque Deo, sanctissimeque Philosophia devovere potuissem. Obsecro te igitur mi domine, & per Deum & laudatissimam tuam in proximas charitatem obtestor, ut obscurius in posterum scribas, imo & si fieri potest, ut libros in lucem à te jam editos novis quibusdam tenebris involvas, ne thesaurus ille cælestis in manus indignas incidat, & piis hominibus nocere possit. Parce Domine libertatem querela, cujus non est alia causa quam pietas in Deum & zelus in doctissimum integerrimumque, nec non de ingrato genere humano nimis bene meritum hominem. Etiam si me non noveris, non potes ipse curiosus ignotus esse, qui tam miranda scripsisti. Nec potest etiam, quicumque semel illa legerit, non esse tibi deditissimus, si modo Iustitiæ lumen aliquod illi supersit, &c.

Tales ac similes literæ plures à doctis & peritis Viris multoties ad me dantur, eum in finem, ut me moneant, ne imposteriorum tam excellentia secreta divulgem. Nihilominus tamen inter eos, qui talium participes redduntur, se offerunt, qui, licet ipsis aliquoties ipsa operatio admodum perspicuè & clarè manibus monstrata fuerit, adèò stupidi & rudes sunt, ut imitari operationem præmonstratam nequeant. Nonnulli verò etiam ed perfidiæ procedunt, ut aut à fallaci suâ malitiâ seducti, aut ab emolumento conse-

consequendo abducti, rem veram, certam & firmam, quam ipsi manibus experti sunt, inficias ire, & falsam afferere audeant, quæ profecto stupenda & detestanda est malitia, jure ac merito unicuique ansam præbens, ut Diabolicos ejusmodi homines, cane pejus & angue, fugiat. Nihil itaque consultius est, quam imposterum nihil omninò literis mandare, aut potius tantorum secretorum cognitionem penitus dissimulare, ut ita occludatur aditus tot undique confluentibus exploratoribus, tantum sumptus, tanti labores, tantæque molestiæ, frustra tot secretorum demonstrationi impendendæ vitentur, ac tandem declinetur timor, & sollicitudo futuræ ingratiſſimæ oblivionis, quæ tot merita non modo sepe pelire, sed etiam improbiſſimis malefactis compensare solet, sicuti hoc tempore apud perfidos mortales, proh dolor! in more positum est, quos Deus suo tempore impunitos non dimittet.

Ego GLAUBERUS jure ac merito cum ardente candelâ dicere possum; Aliis inserviendo consumor. Annon tot præclarorum Scriptorum editione toti mundo clarum & novum lumen accendens, meum proprium oleum addidi & consumpsi, & quidem frustra, utpote nullam à grato animo profectam compensationem sentiens? Veteres Ethnici oblivionem ingrati animi inter fœdiſſima & turpiſſima vitia numerarunt. Nos Christiani, quibus clarissima Euan-

gelii

gelii lux affulsit , atque ideo virtutes majori studio, quàm ipsis Ethnicis , colendæ sunt , è contrario non abhorremus ab amore tanti vitii, quod Ethnici adedò detestati sunt. Sed nisi in tempore impietati tantæ renunciaverimus , ac feridò resipuerimus , iustissimus Deus aliquando suam manum extendet , ac Turcas & Ethnicos fuscitabit ad nostrum Christianismum, in ore solo consistentem , à corde verò procul remotum , gravi pœnâ vindicandum, quam pœnam ante oculos versantem , & capitibus nostris imminentem , securitas Christianorum, nimia cœcitate sopita , non expectat, neque etiam ingruere arbitratur.

Exitus acta probat.

Expla-

Explanatio Obscuriorum quorundam Locorum, in Tertiâ, & Quartâ Parte Prosperitatis Germaniæ, & Centuriâ Primâ occurrentium.

In Prosperitatis Germaniæ Tertiâ Parte.

IN operatione, Aurum & Argentum cum emolumento extrahere ex omnibus mineris siue terris metallicis docente, paginâ 130. A terpositum, lapidem Calaminarem designat.

Paginâ 130. & 131. litera A bis rursus occurrit, & eundem lapidem Calaminarem significat.

Paginâ 132. eadem litera A semel posita, idem lapis Calaminaris significatur.

Paginâ 173. ubi de Aquis ad elotionem, aut edulcorationem usurpatis agitur, & earum usus ostenditur, litera B frustra panni, & litera C ovorum putamina, omnisque generis testas cochlearum & testudinum in aquâ, & extra illam; litera D verò vini feces denotat.

Paginâ 173. litera E ovorum putamina, & cochlearum quarumvis testas innuit.

Paginâ 174. litera F lapides ac calcem designat.

Paginâ 176. G litera Oleum Vitrioli notatur.

In

*In Prosperitatis Germaniæ
Quartâ Parte.*

PAGINÂ 91 A litera unam partem, & B. tres partes monstrat.

PAGINÂ 92. & 93. per primum X Alcalia, & per alterum X fixus Sal, liquationem aut fusionem juvans, intelligitur.

Sequuntur hîc aliquot utiles, & ad terrarum Metallicarum extractionem pertinentes Operationes, in Primâ Centuriâ quidem traditæ, sed propter omiſſa quædam verba intellectu difficiles: Quæ quoniam multa utilia, & Auri atque Argenti extractionem præcipuè concernentia complectuntur, operæ precium mihi viſum fuit, eaſdem huic Appendici inferere, tantorum Secretorum ſtudioſis, ut ſpero, non ingratas futuras.

XXXI. Quo pacto Aurum volatile ex coloratis ſilicibus, rubro Talco, Granatis, Arenâ, Argillâ, & ſimilibus Mineralibus per viam humidam compendioſè extrahendum, & corporale reddendum ſit.

PRIMò mineralia talia igne candefieri & extingui debent, poſtea molaribus lapidibus fran-

frangenda, & imponenda lapideis cantharis, aut ollis Waldenburgensibus, vel Colonienfibus, ut in iis Aqua Regis affusa humectentur. Hos cantharos circumdabis prunis, ut calefiant. Mineris cum Aquâ Regis probè calefactis affundendum Aquæ communis calidæ tantum, quantum ad eluendam Aquam Regis sufficiet. Humectatæ hoc pacto immittendæ sunt in magnas, & ex bonâ terrâ figulinâ factas ollas, in fundo plura foramina parva habentes, quæ duplici chartâ bibulâ sunt tegenda, ut nihil de Mineris per foramina excidat, sed sola Aqua distillet. Postquam prima Aqua omnis exiverit, alius Aquæ calidæ affusione pergendum, affusionesque tamdiu iterandæ sunt, donec Aqua nullam amplius falsedinem gustanti exhibeat, quæ hac ratione Aquam Regis Aurum continentem secum avehit.

NB. Ollæ constituantur in scamno foramina habente, ita ut fundis suis per foramina transeant, & ipsis vasa supponi possint, sicut apposita figura ostendit.

NB. Mineræ possent etiam immitti doliis, duplicem fundum habentibus, qualia sunt ea dolia, in quibus Salpetræ ex terrâ suâ adjumento Aquæ communis eluitur. Eodem autem pacto calidæ Aquæ affusiones tamdiu continuandæ sunt, donec nulla falsedo amplius animadvertatur.

NB. Licet autem nulla falsedo amplius gustu

fitu deprehendatur, nihilominus aliquid Salis adhuc apud eas manet, sequenti modo in Salempetræ convertendum.

XXXII. Quomodo adhuc ex Mineris, cum emolumento, bonus Salpetræ conficiendus.

MIneras has, Auro suo liberatas, æquali pondere, cum calce vivâ, & lignorum cineribus commistas, sub pergulâ aliquâ in acervum cumulabis, ac humanâ, aut pecudum urinâ, per dimidium, aut annum integrum humectabis, affusionibus semper repetitis, quotiescunque post exsiccationes opus erit. In urinæ defectu Aquam vulgarem adhibere poteris. Hoc pacto Aqua Regis, quæ ab Aqua calida non penitus elota, in Mineris remansit, urinæ, aut aquæ pluvix adminiculo Salem in calce viva in bonum Salempetræ convertet, qui more aliorum Salium petræ eluendus, & in stirias redigendus est. Reliqua materia per elotionem suo Salepetræ liberata, sub eadem pergula, seu eodem tecto, pluviam nullam admittente, & soli aëri, calorique Solari pervio reponi, atque urina perfundi potest, suo tempore rursus Salempetræ exhibitura, & per plures sequentes annos idem præstitura, si eodem modo tractata fuerit. Atque ita etiam ipsa Aqua Fortis, quæ in Mineris residua mansit, suum emolumentum affert. Ratio hujus modi

modi Salempetræ conficientis hæc est: Quia Aqua fortis, aut Spiritus Nitri, est quasi semen Salispetræ atque hanc naturam habet, quando aliis Salibus, sicut semen aliquod vegetabile terræ, mandatur, ut ex ipsis augmentum capiendo, multiplicetur, quemadmodum herbarum semina faciunt. Hinc forsan natum vetus adagium, Salem ferere, quod imperiti & ignorantes ludibrio habuere, dicentes; quâ ratione fieri potest, ut Sal feratur, & multiplicetur, cum à pluvîâ solvi & avehi queat? Nescivere stupidi, qui Sal, & quomodo serendus sit. Constat igitur veterum Philosophorum sententia, quod etiam Sal, vegetabilium more, feri & multiplicari queat.

NB. Ex extractis, & cum calce viva, atque lignorum cineribus conjunctis mineris, folius Aquæ vulgaris affusione humectatis, & aliquot dierum spacio exsiccatis, Salpetræ confici potest, non tamen ità copiosè, quàm si diuturniores & frequentiores urinæ affusiones præcesserint.

NB. Fieri quoque potest, ut per Aquas ad edulcorationem adhibitas, unius diei intervallo, bonus Salpetræ conficiatur, si modò calci vivæ affundantur tamdiu, donec omnis strepitus, quem solutio edit, cessaverit. Sic ex acri Aquâ Salispetræ, & fixo Sale in calce vivâ, mox generatur Salpetræ, in longas & pulchras stirias excrescens, postquam per decoctionem

D

in

in ahenò superflua humiditas ablata fuerit. Residua Aqua Salispetræ rursus in ahenò usque ad cuticulam decocta, atque frigori exposita, alium Salempetræ suppeditat, quibus laboribus repetitis pergendum, donec omnis Salispetræ extractus sit.

Satis perspicuè & apertè à me cuncta scribi & tradi, arbitror. Qui vervecino suo cerebro hæc comprehendere nequit, eum, tanquam asinum ad lyram, eadem missa facere oportebit.

Quantum ad acres Aquas attinet, quæ ad Auri ex Mineris extractionem usurpantur, ut Aurum ex iis non amittatur, sed cum quæstu conservetur, diversi se offerunt modi, ex quibus sequentes producimus.

XXXIII. Modi Aurum volatile & fixum ex Aquis edulcorantibus, ut vocant, quibus ex mineris sunt extracta, ad corpus reducendi, & illas ipsas Aquas jam usurpatas cum fructu usurpandi.

Qui optimam viam ingredi cupit, in solutionem Auri, seu Aquam Aurum solutum continentem, Argenti, aut plumbi solutionem infundere poterit, eâ copiâ, quâ Aurum solutum in Aquâ præstò esse conjecerit. Exempli gratiâ.

Sunto in Aquâ 2. aut 3. Auri lotones: solvendi

vedi etiam totidem circiter Argenti, aut plumbi lotones erunt in Aqua forti, quæ solutio Aquæ dictæ, siue abundantiori, siue pauciori infusa fortiore concussione probè miscenda est, donec lacti similis evadat. Ubi subsederit, iterum mōvenda, atque commotiones illæ unius horæ spacio aliquoties renovandæ sunt. Tandem ex quietâ solutione Aqua clara per effusionem auferenda, ac crassior materia filtro imponenda est, ut omnis humiditas distillando à Lunâ solutâ, aut plumbo soluto removeatur, ipsaque postea metalla per reductionem ad pristinum suum corpus revertantur, adjuumento ejusmodi, quem mox docebimus.

NB. Si Argentum, aut plumbum ex Aqua omne Aurum non eliciissent, aut ad se attraxissent, quod faciliè contingere potest, illius tamen nulla sit jactura. Nam quoniam Aqua Regis copiosæ Aquæ dulcis affusione debilitata, & ad novam ex Mineris extractionem inepta est, in eam Aquam edulcorantem, ex quâ Aurum per Argenti, aut plumbi solutionem jam ablatum est, infundi poterit acre lixivium, ex lignorum cineribus, & calce vivâ confectum, paucoque filicum liquore acrius redditum. Silices enim omne Aurum ex solutionibus præcipitant. Aqua Regis autem à lixivio occisa, quodvis Metallum dimittit, in flavi pulveris forma, siue Aurum solum fuerit, siue cuprum, aut ferrum secum habuerit: talis pulvis etiam

siccandus, & modo eo, quem me docturum modò dixi, reducendus erit.

Idem Aurum ex Aquâ Regis, prius per Aquam communem debilitatâ, admodum commodè per Mercurii, sive Argenti vivi solutionem in ipsam infusam colligi potest. Mercurius autem in Aqua Regis manet, & Aurum, instar teneri pulveris, fundum petit, quod elotum, & per reductionem corporale redditum, 24. Caratos habebit.

Mercurium ex Aquâ Regis nullâ aliâ re melius liberabis, quam acris lixivii in eam infusione, quo cogitur Mercurium, instar flavi pulveris fundum petentem, dimittere, ad similes præcipitationes utilem: Aqua Regis & lixivium Salipetræ conficiendo inferviunt.

Aqua edulcorans, ex quâ cuncta Metalla jam sunt educta, in ahenis usque ad cuticulam decocta, atque in alia ahena, aut etiam lignea vasa effusa, pulchrum exhibet Salempetræ, Aquæ fortis ad novam operationem distillandæ idoneum. Peritè administrans hunc laborem, tantum Salispetræ acquirit, quantum ad Aquæ fortis sumptus compensandos requiritur, aded ut Aurum sine sumptibus extractum sit. Nam 5 aut 6. libræ Aquæ fortis, quæ 2. aut 3. libras Salis solutas continentes, acris lixivio, ex calce viva præcipitantur, circiter 10. libras Salispetræ suppeditant, pretio certè respondentes Aquæ

quæ forti, atque ita Aurum, ex lapidibus, sine impensis, extractum exhibentes.

XXXIV. *Alius & melior modus, ex Aquâ forti, Aurum ex Mineris extractum, eliciendi.*

EX 1. parte stanni, ac 4. partibus plumbi torrendo cineres confice, iisque in ferreâ ollâ extractum, sive Aquam fortem Aurum continentem affunde, coque, ac indefinenter ferreâ virgulâ calcem agita, ut omnes acres Spiritus plumbi & stanni cineribus adhæreant, & phlegma solum exhalando abeat. Postquam dicta Metallorum calx omnes Spiritus concentravit, & omnino sicca evasit, exempta injicitur carbonibus in secreto catino, sive crucibulo, in quâ operatione ignis omnes Spiritus in vas recipiens expellit, rursus ad novas extractiones usurpandos. Aurum volatile, & ferro mixtum adhæret calci metallorum, in fornace, quæ Sichofofen est Germanis, reducendum, ubi acquiritur plumbum Auri prægnans, & per Aurum exaltatum, quod per separationem Aurum & Argentum exhibet.

NB. Si illud plumbū non contineret satis Auri, ut separationem in cupellâ non mereretur, de novo cum stanno commiscendum, in cineres redigendū, & per calcē hanc novæ extractiones concentrandæ sunt, ut tot laboribus repetitis, tandem plumbum satis dives reddatur & per separationem Aurum & Argentum largius exhibeat.

D 3

Si

Si materia inter separandum per follem in Lithargyrium mutatur, plumbi tantam copiam in testis fundi non necesse est, id quod multum ignem postulat. Fieri tamen etiam potest, ut Aurum ex testis, sine liquatione recuperetur, quod postea docebitur.

XXXV. Quomodo Aqua Regis, ad Lapidum extractionem, facili negotio acquiratur.

QUoniam Spiritus Salis copia ingens haberi potest, in eo Salpetræ duntaxat solvendus, & hæc solutio ad extrahendas mineras adhibenda est, Spiritus enim Salis, à Salepetræ fortior redditus, promptè & libenter tenerum Aurum in lapidibus aggreditur. Ipse Spiritus Salis autem, sicut per primam distillationem prodiit, sine ullâ rectificatione adhiberi potest.

XXXVI. Facilius ratio Aquam Regis, ad extractionem necessariam, adipiscendi.

SIquidem hæ Operationes semper Argentum Auro prægnans expromunt, ac ad eorundem separationem Aqua fortis requiritur, solutio Argenti ad Aurum extrahendum usurpatur, omisâ præcedentis incinerationis labore. In Aquam Regis, quâ Aurum extraxisti, infunde solutionem Argenti, quæ maximam Auri partem

tem ex Aquâ Regis expiscabitur , postea ad novam extractionem adhibenda , & per Argenti solutionem rursus Auro suo extracto spoliandâ. In defectu solutionis Argenti, extractum plumbi cineribus concentrandum , atque expellendo ex cineribus Spiritum , & eisdem cineres in fornace reducendo eadem ratione progrediendum est , ut modo in præcedentibus docuimus.

NB. Notandum hic, Aquam fortem Argentum solutum continentem, & in Aquam Regis, aut Spiritum Salis Nitrosi infusam , iisdem his Aquis augmentum addere : Nam Aqua fortis Spiritum Salis longè melius corroborat, quam Salpetræ.

XXXVII. Quomodo Argentum ex calce sua, quâ Aurum ex Aquâ Regis erutum est, sit recuperandum.

Postquam Argenti solutio in Aquam Regis infusa maximam Auri partem extraxit, ab Argento in fundo residuo, Aqua Regis clara effunditur, & ad novas extractiones adhibetur. Si autem ferrum adhuc contineret, per plumbi cineres concentranda erit. Alba Argenti calx linteo alicui, supra vitrum, aut lapideum vas expanso, immissa, residuâ Aquâ Regis distillante liberatur, prorsus porro Aquæ calidæ communis affusione omni Aquâ Regiâ, quæ ipsi ad-

D 4

huc

huc adhæsit, privanda. Ex linteo autem fortiter colligato, Aqua communis exprimenda, & calx ipsa siccanda reponitur, quæ postea in secreto catino reduci, aut ad cementationem lapidis Calaminaris in Aurum & Argentum usurpari potest.

XXXVIII. *Quomodo dicta calx Argenti, sine ullâ ponderis sui jacturâ, ulloque detrimento reducenda sit.*

QUandoquidem hæc alba calx Argenti à Salibus adeò volatilis reddita est, ut in communibus catinis, aut crucibulis, sine detrimento insigni, omninò reduci nequeat, nullâ ratione commodius quàm sequente, jactura illa caveri potest.

Calcem hanc Argenteam, æquali pondere Salis Alkali mixtam, injice in candentem catinum secretum, inferius latiore, & superius angustiore, quem operculo suo ex luto Sapiientiæ factò reges. Hac ratione calx colliquescet, nec per fumum aliquid perdens, nec etiam in catinum penetrans; atque ita Argentum Auro prægnans sine detrimento conservabitur, à quo in grana liquato, per Aquam fortem, Aurum separari potest. Hæc autem solutio Argenti per Aquam fortem rursus ad congregandum Aurum novum extractum usurpata, ac postea eodem modo, quem docuimus, Argentum reducendum expro-

promens , tibi dabit perpetuam Auri et Argenti operationem separatoriam , quæ magno cum emolumento ubique exerceri poterit.

XXXIX. *Alius modus Argentum fugax, majore cum utilitate, reducere docens.*

FUGACIS tuæ navis Argentiæ clavo impone pisciculum Remoram, ut celeri fugâ suâ orbetur, & quæta consistat. Eam cum pisciculo, qui clavo insidet, in secreto catino quadrato colliqua, in quâ colliquatione omne Argentum non solum sine ullo detrimento recuperatur, sed etiam ex pisciculi albis spinis, ponderis sui incrementum sumit, & ejus sanguine auro auctum emergit, ita ut hoc additamentum melioris Argenti majorem copiam, quàm cætera additamenta in reductione largiatur. Quæ verò alia commoda fugax hoc Argentum conferat, Deo volente, postea etiam docebitur.

Hæc de facili extractione Auri volatilis ex lapidibus, & pauperibus Mineris, atque Argenti in Aurum gradatione successivâ docere, & revelare in præsentia volui. Plura alibi dicentur.

*XL. Extractio quæstiosa per humidam viam,
ex pauperibus Argenti & Cupri Mineris.*

HÆc Mineralia, modo quem supra de Auri Mineris indicavimus, candefacta, extincta, & per lapides molares comminuta, humectantur Aquâ forti, & pari ratione, quâ Auri Mineræ, extrahuntur, discrimine solo in Aquis consistente; quia ad Auri extractionem Aqua Regis, & Argenti extractionem Aqua fortis adhibetur. Si igitur Auri & Argenti Mineræ simul in promptu sunt, Aurum per Aquam Regis, & Argentum per Aquam fortem extrahitur, ac utraque solutio confunditur, in quâ confusione Argentum in Aquâ Regis ad fundum præceps se demittit, ac simul Aurum ex Aquâ Regis expiscatur. Nihil quoque hîc impedi-
menti affert, si Argenti Minera etiam cuprum continuerit, per Aquam fortem simul extractum. Nam Argentum & Aurum petunt fundum, ac cuprum in Aquâ Regis manet, quæ ad alius Auri extractionem rursus idonea est, & quidem tot vicibus, quot alicui placuerit, adhibenda. Cuprum ipsum ex Aquâ Regis, per laminas ferreas extrahitur, quæ tamen Aquam Regis, rubro colore tingunt, idè ad ulterio-
res ejusmodi labores prorsus inutilem. Idcirco melius est, ut supra cineres plumbi illa concentretur, ut ita Spirituale illud ferrum, in Aquâ
Regis,

Regis, aliquid de plumbo in Aurum per gradationem convertat, & ipsa Aqua Regis, toties usurpata, rursus usurpari possit.

XL I. Alius longè facilior modus sine fusionis Igne, Aurum. & Argentum ex pauperibus Mineris, Arenâ, Argilla, & similibus Mineralibus copiosè extrahendi.

Cucurbitæ vitreæ, aut ex optimâ terrâ factæ, probèque luto munitæ, paulò plus quam dimidiam partem reple minerâ, arenâ, aut lapidibus, fugitivum aut fixum Aurum continentibus, & his affunde sequentis menstrui tantum, quantum ad eas humectandas sufficit. Cucurbitæ verò confestim Alembicum impone (nam ut primum solvens Aqua affusa Mineras attingit, laborando fumum emittit) & ex eâ arenâ imposita, omnem humiditatem distillando evoca, ut ita inter distillandum, ipsum Aurum solvatur, & ipsa Aqua Regis per distillationem recuperetur, ad novum laborem rursus utilis, sicut mox dicemus. Omni humore evocato, cucurbitam in arenâ refrigeratam exime, & aliquid aquæ infunde, ut Mineræ & Sal mollescant. Ex Minerâ verò omnem Salem, in quo Aurum ex Minerâ extractum occurrit, sollicitâ diligentia extrahe, ac decoquendo in rubrum Salem coagula, qui Lithargyrio addito in talibus catinis liquatur, qui non rumpuntur. Lithargy-
rium

rium omne Aurum imbibit , quod quomodo à plumbo separetur, mox in sequentibus disces.

XLII. *Aquæ ad hanc extractionem necessaria Preparatio.*

AD Auri extractionem , Sal in Aquâ fortî, & ad Argenti extractionem , Salpetræ in Aquâ fortî solvendus est. His Aquis , quarum copiam sine labore magno tibi comparare potes, tuas Mineras madefac , & distillatione ab iisdem libera , semper iterum ad tales operationes idoneis , ut novas conficere neutiquam tibi opus sit. Imò singulis operationibus , & Mineralium extractionibus , magis ac magis augentur , ita ut ad infinitas extractiones tibi sufficiant , si ab initio earum duas saltem libras adhibueris.

NB. Hoc pacto omne Aurum , quantumvis paucum, ex omnibus filicibus , arenâ , & aliis Mineralibus, sine omnibus impensis , solo igne excepto, extrahere tibi integrum erit.

Hoc quoque me indicare hîc oportet , quandoque fugaces Auri Mineras , ac coloratas filices reperiri, quæ satis Auri divites , & pulchris coloribus, nimirum viridi, cæruleo , aut rubro pictæ sunt ; in candefaciendo autem colores evanescere , ac filices albas relinquere. Tales candefactionem non admittunt, sicut cæteræ, quæ in candefactionis igne colores suos retineant.

Sine

Sine candefactione igitur præmissa, in pulverem redigas, & extrahas oportet, ut volatile Aurum ab Aqua Regis attrahatur, quod à plumbi cineribus abstractum his se committit, secreti crucibuli ope reducendis, in quâ reductione Aurum corporale evadit, & cum emolumento se à plumbo separari patitur.

NB. Tales lapides acribus Spiritibus coagulatis quoque misceri, & hi per retortam expelli possunt. Ita enim fugitivi Spiritus Salium fugax Aurum secum avehunt, ac præcellentem Aquam Gradatoriam efficiunt, fugitivum Mercurium majore utilitate in Aurum transmutantem, quàm si hoc ipsum Aurum volatile per plumbum corporale redditum esset.

Hoc Secretum haud minimum est ex iis, quæ ex coloratis lapidibus Aurum elicere docent.

Potest etiam tale Aurum volatile, per lenes cementationes, in alia Metalla transire, & fixum evadere, haud exiguum afferens emolumentum, imò majus, quàm si per fusionem eliciatur. In ejusmodi cementationibus, Aurum volatile tempus habet apud alia Metalla corpus nanciscendi, & fixitatem acquirendi, ac est quasi aureum semen, quod in vel ex terra Metallica in Aurum se augmentat.

XLIII.

XLIII. *Alia ad Aurum & Argentum
extrahendum Aqua.*

VT Aurum, Sal, & Argentum, Salpetræ in Aquâ solvatur, atque olei Vitrioli tantum addatur, quantum dimidiæ parti Salis respondebit. Hæc Aqua Aurum & Argentum ex Mineris pauperibus, arenâ, & lapidibus extrahit, & eandem operationem, quam præcedentes, requirit. Augetur quoque in infinitum, ita ut Aurum & Argentum ex pauperibus Mineris, sine sumptibus, si Ignem excipias, extrahi possit.

NB. Idem, quod Oleum Vitrioli, præstat Oleum Sulphuris, in talibus Auri & Argenti extractionibus, ac proinde ejus vices obire potest.

XLIV. *Alius longè facilior modus copiosè
extrahendi Aurum, & Argentum ex pauperi-
bus Mineris, exiguo aut ferè nullo sumptu con-
stans.*

MIneras debitis suis Aquis misce, iisque parvos catinos, ex optima terra paratos, reple, quos sibi invicem in magna ollâ ferreâ impones. Ollæ alembicum impone, & Spiritus per distillationem elice, qui tibi omnes impensas compensabunt, & Aurum gratis largien-

gientur ex Mineris Aqua eluendum, & per Saturnum acquirendum.

XLV. *Alia adhuc facilior ratio.*

MIneras debitis suis Aquis humectatas injice successivis portionibus in prunas, & quidem eo modo, quo te Spiritum Salis parare docui. Hac distillatione Spiritus in vasa recipientia exeunt, ac Aurum & Argentum solvuntur, quæ apud Sal Mirabile manent, Aquâ ex Mineris eluendum, ac cum Saturno liquandum est. Sic sine ullis impensis, Aurum & Argentum, quod in Mineris fuit, acquiritur, ac Spiritus omnes sumptus reddunt.

XLVI. *Quomodo ex pingui Argillâ Aurum & Argentum copiose eliciantur.*

QUanquam Auri & Argenti extractio per humidam Aquam sordida est operatio, sicut supra in initio dictum est, haud tamen sine lucro exiguo abit, quia Aurum & Argentum ex Aquis per præcipitationem elici, & ex usurpatis Aquis Salpetræ confici potest. Cum Argillâ pingui autem longè aliter comparatum est, utpote in quam pinguem existentem Spiritus se abscondit, ut vix dimidia ejus pars recuperari queat, nisi terra talis candefaciendo pinguedine suâ exuatur, id quod sine labore perfici nequit.

Quia

Quia verò in omnibus Mundi locis, ubicun-
que duntaxat terra existit, ejusmodi terra, Au-
rum & Argentum continens, haud exigua copia
se offert, ac nemo hætenus extitit, qui eam ad
utilitatem, & usum aliquem revocare conatus
sit, præcipuè quando tantum Auri & Argenti
non continuit, ut separationis per plumbum
sumptus ferre potuerit: Ego autem id cum lu-
cro præstandi admodum facilem viam depre-
hendi, mei muneris esse ratus sum, Boni publi-
ci causâ artificium illud detegere, quod ta-
le est.

Misce talem, Aurum & Argentum conti-
nentem terram, Aqua Vitrioli, quam supra
descripsi, atque in pilas, aut globos pugno ma-
jores redige, quas successivè injicies in meum
primum Furnum, aut secundam fornacem Di-
stillatoriam, ac Spiritum per distillationem
evoca. Solutum Aurum & Argentum in Sale
Mirabili remanens, ex comminutis pilis, sive
globis, per Aquam calidam extrahendum, &
per plum, bummodo antehac descripto, reducen-
dum est.

XLVII.

XLVII. Quo artificio Aurum ex Granatis, Agathis, Saphiris, Rubinis, Arenâ, aut aliis duris Mineralibus, quæ nec plumbo, nec acribus Aquis domari se patiuntur, copiosè & facile extrahendum sit.

Certum est, quod omnes Granati, cujuscunque coloris etiam fuerint, aut quocunque in loco se obtulerint, sive ex fluminibus petiti, sive ex arenâ aut pingui argillâ eloti, sive in altis montibus, & rupibus inventi, semper multum Auri contineant, sed ob vitream suam naturam nullâ ratione Aquis fortibus extrahi, ac ob difficilem corporum suorum fusionem, per plumbum liquari non possint. Hinc usu venit, ut nunquam hætenus cum fructu ipsis suum Aurum subtrahi potuerit, idcirco, ut inutilibus & indignis Mineralibus, abjectis & contemptis, cum tamen fieri possit, ut exiguo labore, & quasi sine ullâ molestiâ ipsorum Auro quis potiri queat. Sed quid consili hîc ineundum, quandoquidem omnium Aquarum fortium vires acerrimas eludunt, ut cor ipsorum penetretur, & Aurum ex visceribus eorum eruatur? Respondeo: Concentralis, & ad Salis formam redactis Spiritibus, ut & fusili Sale Plumbi superabuntur, & contento Auro spoliabuntur, quâ victoriâ quis aliàs ægrè potietur. Nam ad Salis formam redacti Spiritus, ignis sunt patientissimi, ac du-

E

plicâ

plici labore funguntur, uno quidem acrimonia suâ, altero autem forti igne, aded ut nihil ipsorum vires evitet, ac omnia idpropter ab ipsis vincantur & domentur, postea libenter Salis Saturnini viribus parentia, & Aurum suum per fusionem expromentia.

XLV III Omni refutatione superior demonstratio ostendens, quod hætenus præscriptis modis, per acres Aquas aut Sales, ex Auri & Argenti Mineris, quasi sine sumptibus, plus Auri & Argenti possit acquiri, quam per multos sumptus, & fusionis Ignem fieri solet.

UNicuique, parvâ duntaxat Minerarum Auri cognitione tincto, haud ignotum esse arbitror, quod sine plumbi additione, aut materiæ fusionem faciliorem reddentis ope, ex ipsis Aurum elici nequeat. Quando igitur parum Auri continent, ac è contrario multum plumbi, aut materiarum fusionem requisitam promoventium, necessario postulatur, quo pacto fieri potest, ut parum illud Auri, aut Argenti tantas impensas compenset? Idcirco hætenus Mineræ tales pauperiores, utpote sumptibus requisitis ferendis impares, abjectæ jacuerunt, atque ad usum & utilitatem aliquam non revocatae sunt.

Esto autem, mineras tantum Auri, aut Argenti continere, ut fusionis sumptus ab ipsis re-
peti

peti possint, fusio tamen talis, cum hac meâ inventionem, Auri & Argenti, per Aquas & Sales, extractionem perficiente, comparata similis est Aquæ, quæ cum vino confertur, aut nocti, quæ cum clarissimo die neutiquam comparari potest. Primo etenim fusio vulgaris Metallorum longè majores impensas secum fert, quam extractio illa mea per Sales, quæ profecto minimas impensas requirit. Deinde fieri nunquam potest, ut tam perfectè Aurum omne ex Mineris eliciatur, ac aliquid ejusdem in scoriis non remaneat, ut non dicam de Auro & Argento volatili, cujus per folium vehementem flatum diffusati, ignisque vehementiam jactura necessariò facienda est. Inter omnia verò commoda, quæ ab extractione Auri & Argenti, ex pauperibus Mineris, proficiscantur, illud non minimum obtinet locum, quod non tantum omne Aurum, & Argentum fixum, sed etiam volatile simul per Sales conservetur, ac hoc posterius unà cum illo fixum, & in igne constans reddatur, quod tamen totum ab igne fusionis disjicitur. Nam Salium Aquæ volatiles Auri & Argenti Spiritus fixos & constantes reddunt, aliàs evanescentes, eò quod à forti flatu & igne adhuc fugaciores reddantur. Hinc fit, ut necessario dimidia pars ejus Auri, per fusionis vulgaris ignem extrahatur, quod Salium Aquæ ex Mineris eruunt. Propterea inventio mea non modò hoc commodi subministrat, quod fixum & volatile Aurum &

Argentum, simul sine ullo detrimento, ex Mineris conquirat, verum etiam carbonum parsimoniâ haud parum lucratur, ut hoc silentio præteream, quod unus vir, in Auri & Argenti per Sales extractione, plus efficiat, quàm tres alii vulgaribus fusionibus facere solent.

Ex his fatis evidenter patet, quantum commodi, & lucri in omnibus Germaniæ locis, hæc inventio allatura esset. Hæc enim extractio non solum in omnibus, tam divitibus quàm pauperibus Mineris, commodè & utiliter adhibetur, sed etiam in Auro & Argento ex omnibus coloratis filicibus, quibus omnes rivi, flumina, & & campi scatent, extrahendo in usum vocari potest. Dicerent hîc forsân plures; quâ ratione fieri unquam potest, ut Aurum & Argentum ex lapidibus, in plateis ubique obviis, extrahatur? His respondeo: quod admodum rarè in talibus lapidibus fixum Aurum & Argentum invenitur: Sed interim tamen ipsi Spirituale, immaturum, & volatile Aurum contineant, quod in extractione per Sales non modo figitur & constans redditur, verum etiam ex ipso plumbo, quod in fusionem & separationem additur, aliquid per gradationem in suam naturam convertit. Unde patet, quod in omnibus locis terreni Globi, ubicunque lapides sunt, exiguo labore, exiguisque sumptibus, & cum utilitate bonum Aurum, & Argentum impetrari possit. Pro
tantis

tantis inventionibus benignissimo Deo in æternum sit laus, & gloria. Amen.

Hæc sunt Secreta illa, quæ in Laboratorio meo in patriæ commodum publicè demonstravi & divulgavi. Denuo autem testor, & affirmo, si sola & ipsa litera observetur, a nemine errorem commissum iri. Si quis hæc vel illa mutando, operationesque ex suo sensu emendando à scopo aberraturus esset, ne mihi, qui nudam veritatem scripsi, sed sibi ipsi culpam imputet. Impiè igitur fecerunt, qui talia vicibus aliquot apud me viderunt, & tamen postea sive sponte, sive ex ignorantia errarunt, & ea imitari nesciverunt, interim apud summos & imos perversis calumniis me denigrantes, ac dicentes, vera non esse, nec ullo aliquo commodo aut utilitate perfici posse; quibus calumniis me summâ famæ & bonorum meorum jacturâ affecerunt, non considerantes, quod neque coram Deo, neque coram omnibus honestis hominibus tantarum calumniarum ullam rationem reddere queant.

Nullum autem dubium est, multis in locis talia opera effectus datum iri; quod ubi factum fuerit, omnes mei inimici falsissimarum suarum calumniarum, & putidissimorum mendaciorum convicti, pudore coram toto Mundo suffundentur, quod tam arroganter & audacter veritatis clarissimæ oppressioni inhiaverint. Si ego hanc injuriam à perversis hominibus mihi illatam silentio

lentio involvissem, & veritates patefaciendæ causa non manifestassem, non tantum ignominia & damnum in me redundarent, sed etiam hæ communi Patriæ inventiones utilissimæ defertæ jacuissent, quod tamen Deus permittere noluit. Essent mihi quidem plures haud exigui momenti causæ, in præsentia dicendi plura, quæ tamen proximè Secundâ meâ Centuriâ, Deo volente, expediam, quia tempus præsens illud non permittit. In dictâ autem Centuriâ, manifestatione adhuc clariore & adhuc faciliore, Secreta illa hic patefacta, declarabo, id quod ob nimiam festinationem in præsentia fieri non potuit.

Omnibus piis Studiofis tantæ artis Dei benigni benedictionem largam & divitem, ad hoc præcellens opus, precor, ut in plurimis locis miserorum plurimorum paupertati, & inopiæ succurratur. Quod si fiet, uti spero, Dei summi honorem & gloriam exaltabit, patriæ prosperitatem augebit, ac simul etiam inimicorum meorum pessimos conatus cohibebit. Cum primis autem, si consilium meum, in Primâ meâ Centuriâ propositum, ut videlicet unicuique tales operationes exercere integrum esset, locum habuerit. Quo concessio, fieri non poterit, quin ubique locorum, auxilio horum meorum Scriptorum ex Terrâ Aurum, Argentum, atque cuprum, cum summo totius patriæ communis lucro, & emolumento eruetur.

Hanc

Hanc mihi à perversis hominibus extortam,
& summa festinatione acceleratam Appendicem
hiscæ concludo. Quæ in uno aut altero loco, ob
temporis inopiam non satis clarè, & evidenter
expressa sunt, ea, Deo volente, in meâ Secundâ
Centuriâ, quo Lectorem Benevolum remitto,
clariore explanatione exprimam.



F I N I S.



